

Religionis, sanctorum Angelorum, sancti Joannis Baptistæ, sancti Joseph Sponsi beatæ Mariæ Virginis et Sanctorum Apostolorum, in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio). Concurrente vero cum sequenti Duplici majori, etiam translato, totum Officium fit de sequenti cum Commemoratione Octavæ: excepta die Octava Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, aliisque Festis primariis Domini, in quibus de sequenti fit tantum Commemoratio. Si autem sequens festum, etiam translatum, fuerit ex solemnioribus supra enumeratis in Rubrica de Commemorationibus in secundo ordine num. 6. totum Officium fit de sequenti, cum Commemoratione Octavæ: *Ceteris vero non paribus, quando dies Octava cum alia die Octava concurrat, Vesperæ integræ fiunt de illa, quæ est Festi potioris ritus, aut primarii, aut dignioris ratione personæ, cum Commemoratione alterius. Concurrente autem cum Festo duplici, Vesperæ erunt, vel de die Octava, vel de duplici cum Commemoratione alterius, prouti de Octavis inter se concurrentibus dictum est; exceptis Octavis Festorum Domini et B. Mariæ Virginis, ut supra.*

## XII. De Ordinando Officio ex Prædictis Rubricis.

N. 5. In Festis beatæ Mariæ (exceptis iis, quæ propria in illis habentur) Hymni, novem Psalmi, et alia quædam requirenda sunt ex communi ejus Officio, circa finem Breviarii, *quod inscribitur: In Festis beatæ Mariæ Virginis per annum.*

## XX. De Hymnis.

Ab Octava Epiphaniæ usque ad Dominicam primam Quadragesimæ exclusive, in Officio de Sanctis dicuntur ut in Communi Sanctorum nisi proprii in Proprio Sanctorum habeantur. *Quando in aliquo Festo adsint tres Hymni proprii historici, et Hymnus proprius in primis Vesperis dici nequeat, tunc hic Hymnus dicitur ad Matutinum, Hymnus Matutini ad Laudes, ac Hymnus Laudum ad secundas Vesperas; si vero secundæ Vesperæ non sint de hoc Festo, tunc Hymnus Vesperarum conjungitur cum Hymno Matutini sub unica conclusione.*

N. 4. In Nativitate Domini usque ad Epiphaniam, in Festo Corporis Christi et per Octavam, et quandocumque fit Officium beatæ Mariæ tam novem, quam trium Lectionum, etiam tempore Paschali, in fine omnium Hymnorum (præterquam in fine Hymni *Ave maris stella* et Hymni ad Laudes in Festo Corporis Christi, atque Hymnorum in Festo Septem Dolorum beatæ Virginis mense Septembri, qui habent ultimum versum